



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.60. Henricus Castellæ Princeps Romæ agit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.
A. C. 1268.

§. LX.

Henricus Castellæ Princeps Romæ agit.

n. 21. Illo ipso die Papa contra Romanos litteras edidit, in quibus eis ingrati erga matrem suam Ecclesiam se beneficiis cumulantem animi exprobrantur, additurque: Postquam Conradinum damnatæ stirpis surculum, & apertum Ecclesiæ hostem, cunctosque fautores ejus proscripsimus: Galvanum Lanceam maledictionis filium cum explicatis Conradini vexillis Romam ingressum cives magna pompa excipere, usque ad Lateranense palatium ducere, ac inter majora etiam humanitatis officia ad suos ludos publicos admittere; tum Nuncios alios Conradini litteris instructos congregato in Capitolium consilio solenniter audire non dubitarunt. Itaque Papa Henricum Castellæ Principem Romæ Senatorem, Guidonem Monfelitranum ejus vicarium, administratos reliquos, & omnes illos, qui Galvanum cæterosque Conradini Nuncios sponte receperant, ab Ecclesia sejunctos declarat. Has litteras, sicut priores, dabat Viterbii memorato die.

Mariana l.
II. c. II.
Duchesne
p. 387.

Henricus Castellæ Princeps erat S. Ferdinandi Filius, Regis Alphonfi Astrologi frater. Cum ab hoc diffideret,
ex

ex Hispania ad Regem Tunetanum profectus quatuor annos apud eum traduxit.

Sæcul XIII.

A.C.1268.

Ibi multum religionis suæ perdidit, multum de moribus Musulmannorum induit

Anon. Sicul.

p. 881.

scelestissimus homo factus. Ut Carolum Siciliae Regem arcta sanguinis communi-
one contingebat, eum post Manfredi cladem hujus regni solium conscendisse audiens an. 1266, eundem adiit cum multis præclaris Hispaniæ Equitibus. Suaviter a Carolo acceptus, ut in ejus locum Romæ Senator eligeretur, callide curavit. Tum quibusdam in Carolum rebellibus ducem se præbens, partes Conradini suscepit. Igitur Romæ dominans thesauros in templis abditos diripuit. Vetus enim non Romanis modo, sed & exteris mos erat, ut metu prædonum & incursum hostium in cœnobiis ac templis pecunias & magni res pretii deponerent, quippe nusquam melius quam in locis sacris servandas. Henricus nulla religione tactus effringi portas, profanari sacra, recludi cistas jubet. Hinc numerata pecunia, illinc vasa aurea & argentea, aliunde ornamenta, denique pretiosa omnia asportantur. Sic basilica Lateranensis, sic templa S. Pauli, S. Sabbæ, S. Basilii in monte Aventino, S. Sabinæ aliæque expilantur: luctuosus Cleri clamoribus urbs tota personat.

p. 882.

p. 884.